Aufugiunt trepidi, ſeſequè in Tartara condunt:
Tum grates quas ille Deo, quæ carmina, & hymnos?
Nil aliud iam ſylua, arbor nil, luſtra, receſſus,
Nil auræ, rupesq; ſonant, quàm carmen amoris,
Numen amat, Regemquè Deum, quo Præſide bellis
Inuicto hoſtiles diſiecit Marte Phalanges;
Exin verò quies quàm lęta ſibi? aurea pacis
Otia quàm ſecura? bonum ſpondetur vt auum?
Lętos ille dies tandem felicibus orſis
Inchoat, haud vlla turbatos hoſpite cura;
Sanctè agit, & pacem laudatis tollere geſtis
Nititur, egregijs ſęclum commendat & auſis;
Namquè ego quid repetam? niueũ quòd cœlibe vita
Pectus, & innocuum tenuit? quòd crimine Soles
Innumeros expertes egit, vbique verendo
Ore, oculoquè micans; humili quòd mitia mente
Verba dabat, triſtes conatus tergere curas?
Quòd medica non arte, Crucis ſed vulnera ſigno
Hic valuit, febresque atras, morbosquè leuare?
Quòd Parcæ tardare colum, vitęquè periclis
Mille laborantum tranquillos reddere Soles?
Dæmona quid referam? quòd tetrũ pellere, & Orco
Deiectum damnare potis? quòd itinere feſſus
Arenti dum fauce ſitit, reſtinguere flammam
Nec riuo ſaliente datur, diuinitus orto
Fonte miniſtrat aquas gelido liberrima Tellus?
Quid? quòd fatidicus? quid? fera quòd omina ſacro
Ore dedit, caſus quòd ſenſit & ante futuros?
Omnia dementis metro perſtringere velle;
Vires poſſe negant: hic ergò terminus eſto.
Iam luſtris, ſenioquè grauẽ, ſpolijsque refertum
Et palmis, celſo repetentem pręmia Cœlo,
Diuinam ſpiraſſe animam ſuper aſtra vehendam:
Felicem ò animam, diues multiplice pręda,

Quæ

Quæ Cœlo fruitura volas, viſura Tonantem,
Angelicis inſerta Choris, ſplendentior aſtris;
Felicem ò nimium, cœtu-que condita Diuum
Aeternas ludes choreas; tibi ſignifer Orbis
Arridet, claruſquè Aether; tibi ſydera Phębo
Inſtituunt plaudente iocos, ridentquè volanti;
Arride ſic Diue meis eià optime votis.

DE VENERABILI VIRO, ET Integerrimo P. Hieronymo Aemiliano Patritio Veneto, Congregationis Somaſchæ Inſtitutore Sanctiſſimo.

PRima Camœnarũ ſacros Heliconis ad hortos
Calliope, quę ſertę legis, violequè beatę
Halanti gratũ calatho, quem floribus ornas.
Quem folijs, quę bruma gelu, vel Syrius ęſtu
Non rapit, ęterni ſed honore virentia Veris
Fons Aganippęa Permeſſidos educat vnda;
Fronde Somaſchenſis ſacri cur cingere Cœtus
Dic mihi, Ductorem ceſſas? quid tempore tanto
Differsquè Aonia crinem redimire corolla?
Dignius an Vates alios exercuit vlla
Virtus? impenſusnè labor felicius arte
Muſarum, cantusque potens, & dulcia plectra?
Eià agè vocali concentus flore labora
Aeternum ſertum, argutas Chelys atque ſonorę
Plecte fides, molliquè manu violaria tonde
Cordarum, cultrixquè nouo mete germina prato:
Fidus ego Vates, quin credis talia? plectrum
Quin icis ſtudioſa meum, dulcemquè camœnam
Soluis? Apollineum nec perſonat illico metrum?
Auditis ſocij? an dulcis me inſania ludit?

Calliopem

Calliopem videorquè pios audire per hortos
Curſare,vmbranteſquè agilem circumdare ſaltus?
Hinc violas , hinc lenè roſas decerpere,ouantem
Nectere perpetuas lectoquè è flore corollas ?
Sic habet , huc ſocij , Cœtus ſacer ; omnia odoro
Thure halent , gratę Panchęa nube tepentes
Caligentquè aurę , ſuperent funalia Solem ,
Purpureumquè diem ; flauoquè micantia textu
Exerat auratus Babylonica tegmina amictus ,
Carmine Męonio dum facta canenda retexo.
Mouerat Adriaco pugnax Germania bellum
Imperio,Venetamquè Oram fera Marte ciebat ;
Hęc armis,acieque potens in prelia , latę
Diues opum palmę,Thracum cędisquè cruentę
Clara olim ſparſo,ſpargendo & ſanguine Tellus ;
Heſperijs poſtquam magnus Leo cinctus ab armis,
Auſoniaquè manu , totum terroribus Orbem
Implerat,morſuſq; atros inflixerat hoſti ;
Vis tamen irarum,rabieſquè reſederat omnis ,
Epotusquè cruor diros ſedauerat enſes ,
Cum feſſę interea repararent otia Gentes ;
At Cęſar flammatus adhuc exardet in iras,
In vulnus,cędemquè ruit , velutiquè Leęna
Lęſa ęſtu feruet, crudoſquè reſuſcitat ictus ,
Sic bilem facibus nutrit , ſic fulminat ęſtu ,
Bellaces rurſumquè Aquilas minitatur, & arma:
Tum tibi quod pectus,virtusq; Hyeronyme mētis ?
Quàm fortes animi ? Caſtro qui iura recenti
Aemilia de Gente potens , virquè optimus armis ,
Inuictus Ductorq; dabas?mox affore Turmas
Cęſarias cum fama loquax, fremituquè ruentum
Carnorum caneret ſonituros milite campos ?
Hercynios ſaltus , alpesquè emenſa niuoſas ,
Riphęo Cœlo,gelido Gens proxima tractu

Iam-

Iamquè aduentabat pereuntis conſcia Phębi;
Armiger huc Sueuus,ferro Rhętiquè potentes,
Atquè ſagittifero pugnantes Marte Cheruſci,
Venit& algentis bellax maris accola Cymber,
Bructerus indomitus,fortis belloquè Boemus,
Hirti pelleque Sauromatæ,fidentior Herdus.
Quiquè colunt Albim labentem gurgite pleno ,
Concretum Rhenumquè gelu , quoſquè alluit Iſter
Septemplex,Thetidem quà fluctu vndante coronat;
Cęſaris huc omnis miles,Cataphractus,& agmen;
At fidens animi contrà Dux optimus Arcis,
Non procul eſſe Aquilas , externaquè militis arma
Cum videt,& ſonitus audit lituiquè,tubęquè,
Exacuit vultu Martem , ſocioſquè pericli
Confirmat,ſapienſq; animis audacibus implet;
Veſtra age nunc,inquit,virtus,nunc robur & altũ,
Conatuſquè potens, & inexpugnabile pectus
Vos animet,fidi Ciues; totieſquè Probatę
Inflamment ſtimulo vires ; nam gloria tantæ
Quin trahat exultans palmę ? timor omnis abeſto;
Fortior eſt numero virtus;confidite,dirum
Rugiet ore Leo,Venetiſquè accedet ab Oris
Auxilium,fortisquè manus,diſpellat vt hoſtem,
Audete , ac voſmet rebus ſeruate ſecundis;
Intereà oppletur Germano milite campus ,
Circum ſtat Cęſarquè acie,turmisquè cruento
Gaudentum cingit riuo,potiatur vt Arcem ;
Claſſica iam litui faciunt, Collesquè reſultant
Pulſati clangore truci;ſonat arduus Aether
Armorum rauco ſtrepitu;iamquè ęrea moles
Multa tonat,tormenta ruunt vtrinque, ruinam
Igniuomo ferroquè parant; accenſus & inde ,
Hincq; globus volitat,telorumq; horridus imber:
Non tam ſpiſſa cadit glacies , ſublimis in Arcton ;

Prominet

Prominet Hercynię affinis quà Rhętia ſyluæ;
Nec tot ab Illyrico Picenum littore campum
Aduectę glomerantur aues, quas ſęuior vrit,
Atquè alios propellit hyems trans ęquora Soles
Quærere, tranquilloquè æſtu curſare per Oras,
Quot volitant vtrinquè ignes, quot Gnoſſia cornu
Spicula torquentur, certum minitantia lethum;
Deniq; ſed fractos perrumpunt agmina muros
Cęſaris, & victi prenſant faſtigia Caſtri;
Bacchatur tum immanè enſis, ſęuoq; peremptis
Marte profanantur non ſontes Ciuibus ędes;
It clamor, ſtrepituſq; Polo, fuſuſq; cruentum
Sanguis agit riuum, inceſtatq; cubilia cędes;
Hæc Natum plorat miſerum, nurus illa Maritum,
Hæc Fratrem, Patremq; gemit, mixtoq; tumultu
Immeritam, diramq; necem lachrymãtur Amãtũ;
At captus, vincliſq; manum, collumq; cathenis
Compedibus vinctuſq; pedes Hieronymus arctis,
Carceris in tenebras rapitur, Turrisquè profundæ
Arcetur tectis ſolidis, quæ ferrea moles
Obſtruit, ingreſſumquè inhibet caligine luci;
Hic ille informi macie, ſqualloreque fœdo,
Funceſta premiturquè fame, perfertquè malorum
Omne genus, languetquè atris vis inclyta pœnis;
Vix animus ſecum eſt, certusquè haud fidere rebus
Poſſe ſuis, Cœlum lachrymis, votiſq; fatigat;
Conqueritur, ploratquè vicem, Cœleſtequè Numen
Auxiliare rogat, Sanctam Regisquè Parentem,
Aetherei lectam thalamo Sponſamquè Tonantis;
Hãc ſupplex, geminas tendenſq; ad ſydera palmas,
Procumbens genibusquè orat, diroquè ſolutam
Vitam ſeruitio poſcit; ſi vota ſecundet
Exitus, ac liber ſoluatur carcere, Templum
Viſere nudato pede, depictamq; tabellam

Deuouet

Deuouet ante aram, ſacroſq; affigere poſtes;
Vix fecit votum, niueo ſplendoreq; tecta
Virgo adſtat, ſoluitq; pedes, collumquè cathenis,
Claueſq; æratas, reſeret quibus oſtia, tradit;
Ille fores iuſſas aperit, certuſq; ſalutis
Egreditur, carpitq; viam, quà mœnibus Vrbs eſt
Ardua Taruiſii, pictoq; cacumine Colles;
Ecceq; dum pergit, medios tremebundus in hoſtes
Incidit, armatas iter obſeſſumq; Phalangeſ
Accinxiſſe videt; quid aget? regit antè ſupinas
Ad Cœlum cum voce manus, vtq; Aethera votis
Impleuit, niueam Superi Regiſq; Parentem,
Reginam Sanctamq; Poli proſpexit, & Orbis:
Hæc dextra apprenſum, nulli viſumq; per arma,
Per turmas hoſtiſq; omnes, perq; agmina centum,
Vlterius ducitq; etiam, dum ſurgere ab alto
Mœnia colle videt; Virgo namque Aetheris Oras
Sublimes tum Diua abijt, ſequè occulit aſtris:
Protinus hic grates, quanto potis ore, rependit,
Virgineæ cantumquè Deæ, laudesquè Parenti,
Sydereo Regiquè mouet; modulamina pangit
Dius Amor, Sanctamquè animã concentibus aptat;
Proſequitur ſic lætus iter, greſſuquè citato
Vrbem intrat, Templumquè ſimul, clinatus & ante
Aras vota Deo ſoluit, Cœliquè potenti
Reginæ, factumquè canit per ſęcla ferendum.
Hinc qualis ſed, Muſa, animus? quæ militis arma?
Dic agè, quæ virtus fuerit, quæ mens, ſtudiumquè,
Ac pectus vitæ accenſus melioris amore
Ardet, & Aethereo paulatim liquitur æſtu;
Ac veluti Ceruus nemora inter Creſſia, ferro
Gnoſſia cui biberint traiectum ſpicula pectus,
Parthenios inter dira ſeu cuſpide ſaltus
Certa manus fixit Gephali, iaculiquè volucris

Ictu,

Ictu, læſus amat fontes, Idea fluenta,
Egelidas ſitibundus aquas, pernicequè totos
Tranſmittit curſu campos, cliuoſaquè ſaxo
Rura ſecat multo, viuas abiturus ad vndas;
Tantus amor Cœli eſt, Diuini tantus & ignis
Ardor, Cœleſtum tantæquè beantia curę
Conſilia, & ſeu decedat ſol Aethere ad Oras
Heſperias, veſper ſurgatquè obſcurus Olympo,
Seu matutinos exſuſcitet Heſperus ignes
Toto inhians patrium ſuſpirat pectore Olympum;
Hunc amat, exardet, cupidus votoquè fruendi,
Complexu Summiquè Dei, molimina ſecum
Diua agitat, Sanctos animo meditatus Amores:
Imperat ergo aliam ſibi vitam, alioſque repente
In melius verſos mores: bellaſſe ſub Orbis
Vexillo hactenus, & Patriæ, meritumquè ſcidiſſe
Militiam, poſt hac Diuorum, hominumq; Parenti,
Bellandum ſoliquè Deo, vexilla Crucisquè
Alma ſequi, forteſquè alas, lectaſquè Cohortes
Tęnarios Herebi compellere munus in hoſtes:
Et quià quod multum Patriæ debetur, abundè
Soluitur, Aeterni Sancto ſi Regis Amore
Armenus Ciues, Venetã primo deſcendit ad Vrbẽ;
Hìc opus exorſum ducit, cum larga ſupellex
Venditur, ægrorumquè fame partitur in vſus;
Cum tabe infectos, lethum morboque ferente
Affatur ſolatus, amans extollere mentem
Altumquè hortatur, Cœlumquè, Deumquè precari,
Diuorumquè inhiare Choros, Cœtusquè volantum
Spirituum, ſuperisquè Oris aſſidere Ouantum;
Cum pius extinctos, inhumataquè corpora dorſo
Excipiens, priſci renouans monumenta Tobiæ,
Deponit tumulo, ſacro decoratquè ſepulchro;
Heroum ò animum, Cœlo ò laudabile cœptum;

Iam

Iam mihi felices tanta hæc quos ſemina fœtus
Deſpondent? Quàm læta ſeges, quamq; aurea cornu
Vbere meſſis erit? miles namque Aetheris alti,
Ac fortis Ductor, Stygium nè ſolus in hoſtem
Tartareas Ditisquè acies, graueolentis Auerni
Mõſtraquè perrũpat, ſocium legit agmen, obarmat,
Inſtruit electum fideiquè vmbone coruſco;
Nempè omnes glomerat pueros, quos morte Parentũ
Deſertos errare foro, ramoſaquè circum
Compita, perquè vias curſare, locoſquè patentes
Aſpexit, tenueſq; unam deducit ad ædem
Pauperis hoſpitij, tectoquè amplectitur vno;
Educat hìc ſancto cultu, fideiq; miniſter
Informes format mores, & pectora legis
Erudit æternæ iuſſis, puræq; beatum
Mentis ebur, cordis niueiq; inſpirat amorem;
Hoc nihil Aethereo Domino, Regiq; Tonanti
Carius, auguſtam pudibundæ Virginis aluum
Qui Templum legit quondam, cum miſſa per auras
Progenies æquæua Patri, præcordia Diuæ
Arcano impleuit Verbo, Cœleſteq; fœtu;
Quin etiam, candore vacent ſi pectora, cara
Eſſe nihil, quamuis mille effulgentia donis;
Quamuis ſi, roſeos oculus quot ſuſpicit Orbes
Ignibus, & picti radiantia mœnia Mundi;
Quot Ioue nymboſo pluuiæ, quot ab Iride rores,
Algentes Rhodopenquè niues, glacieſquè Boræo
Axe cadunt, viridi florent quot germina prato,
Clorysquè egelidam depingit honoribus Hyblam;
Viuaces animos ornent, totq; inclyta dotes
Corda beent, claroſq; intermicet alma colores
Pallas, Acidalios pingant & lilia flores;
Hinc ait, effuſis precibus, votiſq; rogandum,
Non vt opes, aurumvè arcas, animumq; fatiget,

Pectore

Pectore ſed niteat purus candor; præcordia ſenſu
Sed feriat viuace Deus, mollitaq; ſacro
Sole velut rapido, mens tota liqueſcat ab æſtu;
Hæc hæc ſunt ſtudia, hic vnus labor. Optime Ductor
Aemiliane tuus, conſcriptas agmine Gentes
Auctorare Deo, lectamq; ad prælia pubem
Tartareos fracturam hoſtes fulgentibus armis
Inſtruere, haſtiliq; nouas armare Phalanges;
Sed Patriæ vt factum ſatis eſt, Venetæq; ſolutum
Vrbi, quod debet, viſum fidasq; Cohortes
Muniuiſſe, alio turmas lecturus in agmen
Dux ſapiens diſponit iter, Terraq; recedens
Adriaca, Pataui Teucrorum tranſit ad Vrbem
Relliquias, profugi magnamq; Antenoris Vrnam;
Hic nec ſegnis agit; mentem namq; ignea flāma
Regis habet Superi, refouetq; incendia rore;
Hæc vrgent, ſanctoq; operi, quæ prouida adurunt
Pectora, ſufficiunt vires, facilemq; laboris
Curſum ſuppeditant, felix omenq; miniſtrant;
Milite ſic Chriſti facto, ſcriptaq; bonorum
Gente breui, Vicentinos mox pergit ad agros;
Quo ſed cumque pedes Ductor mouet optimus, inde
Hincque animi dotes ſpargit, diffundit odorem
Aethereum, Cœlo Cœlumq; beatius infert;
Quid moror? hunc Ciues, ipſæ mirantur & Vrbes,
Huic plauſum dulcem faciunt, agerentq; choreas
Mœnia, ſi poſſent, pernices edere ſaltus
Viſa, ſolum grato pulſare ſibiq; tumultu;
Ipſa quoque officijs hominem complexa decoris
Gens amat, electiſq; ſuis Amor ipſe ſuadet
Quale Dei commendat opus, properanteq; curſu
Docta pios ſequitur ſua per veſtigia greſſus;
Aſt ille vt plauſum refugit, laudemq; laborum
Dux humilis, temnenſq; ſui ſic dulcia miſcet

Carmina

Carmina, ſic laudumq; Deo modulatur honores;
Nec patiens multi fieri, dum totus in hoſtem
Inuehitur, Gentiq; ſtudet, pubiq; legendæ,
Sæpe ſolum ſapiens mutat, laturus opemq;
Quantam cuique poteſt, Senonū vegrandia Brēni
Nunc petit arua Ducis, vitrea quà cœrulus vnda
Diffluit, & ſyluis oneratus, & abiete criſpa
Præcipitat, veloxq; Atheſis vada conſcia Cymbro;
Nunc quà piſcoſo Mincij patre ſaxa Benaco
Icta ſonant, gelidæ lymphæ refluuntq; fluuntq;.
Tranantumq; oculos inuitat amoribus Ora:
Hic vbi dum pingues epulas, apponit & hoſpes
Sedulus inſtructas menſas, pulchroq; paratu
Crateras magnos ſtatuit ſpumante Falerno
Indoluit, ſecumq; iſta, en Hieronyme, Chriſto
Ingrate ò Fili, lautis aſſidere menſis
Sic nè audes, tantoq; dapes attingere luxu?
Nec pudet Authoris vitæ veſtigia nolle
Sancta ſequi, greſſuq; ſuo componere greſſus?
Cumq; famem, tuleritq; ſitim Rex almus Olympi,
Omnia quo Cœlis Domino, Tellureq; fiunt,
Solq; Polo clarus lucet, cum fœnore ſparſum
Reddit ager ſemenq; ſuo, volucreſq; canoras
Qui pius enutrit, formoſaq; lilia campi
Veste tegit, quales Aphro nec murice Reges,
Nec Dauidiades ſpectandus veſtijt auro;
Tu tamen, heu fœdum facinus, crimenq; nefandū,
Tu lautos audeſq; cibos, dulceſq; liquores
Quærere, compoſitis conuiuia amareq; menſis?
Ah ſurge, hic quiſquis dormis, ſomnoq; ſepultam
Excute veſanam mentem, nec tædeat artem
Syderei tractare Ducis, Cœleſtia ſigna
Qui ſequeris, paruoq; ſtude contentus in Orbe
Fallacis vitæ fluxos traducere Soles;

E Sic

Sic ait, ac ſpretis epulis, temptoq; Falerno
Pellit fruge famem, ſiccaq; arentia faucis
Labra leuat fontalis aquæ vel parcior hauſtu;
Scilicet hoc bellis proprium, quot adire pericla
Nouerat inde pati tot vitæ incommoda, naſci
Nec ſine nube dies, vnà & cum lampade Martem
Efferri, Martemq; graues ſpondere labores;
Hinc bonus vt fieret bellantum in prælia Ductor,
Eſſe bonus cœpit miles, modicoq; deinceps
Vſus pane famem, ſitim aqua reſtinguere, bello
Arma ſatis valida, Harpyasq; potentia, Scyllas,
Lætheasq; animas, totumq; domare Barathrum;
Sic verò eximium nactus Cœlo auſpice robur
Cenomanum tendit, diues quà fœtus ab alto
Vertice ſubiectos ſpeculatur Brixia campos;
Atque ibi dum Ciues auidos pugnacibus armis
Tanarias vaſtare domos, Herebiq; ſilentis
Inuiſas animas, Ditemq; domare ſuperbum,
Inflammant Ducis auſa noui, fortiſſima virtus
Pectora firma facit, quales nec Græcia vires
Marte potens, Graio fortis nec diruta ab hoſte
Troia, nec Aemathio vidit Pellæus in agro:
Nunc agè Bergomatum quenã deductus ad Vrbẽ?
Ardente vt Cœlo flauentia demetit arua,
Ruſtica quæ debet pubes, quam noxia letho
Abſtulit atra lues, duro fera facta colono;
Vt triplicem cœtum cogit, tresq; agminis alas,
Siue puellarem candenti pectore Turmam;
Seu pueros fortes animo, fidamq; iuuentam;
Fœmineum ſeu molle genus, ſed vincere certum,
Sed cupidum dulcis palmę, ſcriptæq; Cohortis
Signa vt Alexandro decernit digna Beſozzo;
Carpanumq; abiens abducit vt inde Leonem,
Semideis carumq; Pio, Pauloq; Columnis

Cœlorum, Fideiq; ſolo ſanctæq; Miniſtris
Chriſticolæ Genti Pacis, ſociumq; laboris
Admouet, & Larias ſecum trahit hoſpes ad Oras;
Vt ſibi nulla quies operum, ceſſatio nulla,
Sed voto plenus cœptasq; augere Phalanges,
Et lectas armare acies, Herebiq; procaces
Inſidias, turpesq; dolos, æſtusq; docere;
Inſubrum vt petijt Gallorum promptus ad Vrbes,
Quaq; fluit vitrea Ticinus pellucidus vnda,
Quà Mediolani ſurgunt inuictaq; muris
Oppida, vix Italum proſpectent qualia fines;
Vt pius effuſo miræ virtutis odore
Vtrobique ſolumq; facit, Ciuesq; beatos;
Donatos nummos, oblatum temnit vt aurum
Sfortiadum de Gente Ducis, paruumq; lacunar
Eſſe ratus, tenuemq; ſibi cum paupere cultu
Sat victum, dum bella mouet, Ditemq; laceſſit;
Aetheris vt Gentem Domino conſcribere pergit;
Nec modò quos enſis, laudatq; volatilis haſta,
Vmbonem verſare bonos, criſtisq; micantem
Ferre comis galeam, telo inuiolabile tegmen;
Sed quorum eſt alios animandi ad prælia virtus,
Vexilli qui ſigna ferant, qui claſſica bombo
Alta ſonent, lituos plectant, clangore tubęq;
Bella, ferum Martemq; canãt; Primosq; Helenosq;,
Gallosq; Aoniæ magnos, Latiaq; Mineruæ;
Et Gambaranæ Comites, quibus aurea Cœli
Nomina fecit Auis, lecta & Victoria palmę
Symbola, Tenarij ſpes certa, omenq; trophæi,
Vt curas fugiens Vrbis, plauſumq; frequentem,
Rura petit deſerta foro, ſed grata Somaſchæ
Collibus apricis, ſyluasq; vmbrantibus hortis;
Rura, beant quę lenis aqua muſcoſa fluenta,
Vndantesq; lacus, flabro mollesq; Fauonij

Perpetuo exornant vere, æternum q; laborat
E uiola Clorys ſertum, pictasq; corollas,
Luce decens, minioq; ſinum, reſperſaq; cocco;
Viq; ibi militiæ meliorem ponere partem
Conſtituit, Campo Turmis bellantibus apto:
Vt magis armatur ferro, teloq; minaci
Virtutum, Ditiq; parat ſocialibus haſtis,
Lucifugis Monſtrisq; necem, dirumq; frementi
Encelado, Rhætoq; fero, vaſtoq; Typheo;
Annonam tenuem factis vt creſcere votis
Imperrat, & fructu gemino ſolatur egenum
Agmen, confectamq; famis ſæuo impete Turmam.
Sed longum faciam, perſtringere ſingula metro
Si ſequar, inceptam ſeraq; coronide; florum
Vix textu videar tantoq; expleſſe corollam;
Ergò liget Vates ſertum, violasq; retextas
Calliope retrahat, primisq; nouiſſima nectat;
Nigrantes dum Marte domos, Manesq; profundos
Tartareum vexatq; Chaos, dum totus ad arma
Proſilit, in Stygias vrgetq; Hieronymus hoſtas
Inuictam, lectamq; manum, durosq; labores
Dux almus patitur, (potiundę gloria prædæ
Namque agit,) intrepidæ prælectis ante Magiſtris
Militiæ, Fidei ſummis protectus & armis
Ad mortem trahitur, Naturę fatoq; ſoluens
Elatis altumq; oculis, manibusq; ſupinis
Orbe abit, & ſupero palmis ornatur Olympo.
Salue ò Sydereo Dux, & Pater optime Cœlo
Diuorum quem leta Cohors, Pubesq; volantum
Spirituum, caſtęq; animæ, famulæq; Volucres
Excipiunt Summi Regis, thalamoq; reponunt
Aſtrigero, celſoq; Poli melioris in Aula;
Cui mæſtũ non rauca ſonant iam tympana Martẽ,
Claſſica nec lituo reboant, ſed dulcius acta

Blan-

Blanditur Teſtudo ſonis, Diuæq; Camœnæ
Multifores inſtant calamos, Cytharasq; fidesq;
Tinnulaq; auriſonis plectunt crepitantia nodis;
Cui nec bella dehinc, tranquilla ſed otia mentis
Perpetuam ſpondent pacem, violæq; Tonantis,
Elyſiæ præſtantq; roſæ inuiolabile ſertum;
Salue anima ò felix, ſalue facta Aetheris hoſpes,
Atquè age bellorum curis iam tuta quieſce,
Huc tamen, huc clemens oculos Hieronyme flecte,
Collectum ſtudioq; tuo, veſtigia Cœtum
Ardentem, greſſusquè tuos, tibi vota, preceſquè
Deſpice fundentem; cœptoquè in Marte precamur,
Affer opem, Natosquè iuua Pater, atque Clientes;
Salue iterum, & rurſus ſalue, atq; in ſæcula ſalue.

ACADEMICORVM GENEROSORVM
Principi, Philippo Molino Patritio
Veneto Nereidum Gratulatio.

Doris. Tethys. Cymothoe. Xantho.

Do: Quò greſſum fecere animi felicia uota,
Vota, ciet quę fama recens, felicibus orſis
E merita nouus inſpirat Princepsquè curuli,
Huc vẽtũ Nymphæ eſt; celeres Neptunia Regna
Cœruleos tractusquè maris, camposq; liquentes,
Vicimus, Adriacas propereq; adnauimus vndas:

Tet: Sic habet; en Vrbis Venetũ noua mœnia, ſedes;
Fluctibus è medijs erecta tridente potentis;
Vrbis, cuius amans peramœnę fontibus Idæ
Alma vale Cyprigna Venus, ferturq; Cytheris,
Ac veteri dixiſſe Papho, ſciſſisque natatu
Vndis, deſcendiſſe Adriani littoris Oras: